



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Gangvlphvs Confess: 11. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

Ergo quare thesauros in cælo; non vani sunt illi quidem, nec ærugo eos demolitur, cordis ex- plent immensitatem, tuti sunt ab invidis, & furi- bus. Nos rident Angeli, cum observant, tantum sudare nos ædificandis luteis domibus, quas brevi sumus relicaturi, dolent utique quod voluptatibus, nobis, animantibusque, communibus, delectemur. O Christiane spera, pete sublimiora; Cohæres Christi, quid gaudes, quia socius es pecori; erige spem tuam ad bonum omnium bonorum. Aug.

S. GANGVLPHVS CONFESS:

II. Maii.

Conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod datrahunt, vobis confundantur. 1. Pet. 3. 16.

GANGVLPHO Dynastæ Burgundo, corporis, animi, quæq; fortunæ propriè imputamus, bonis felicissimo, nihilominus cum malorum omnium malâ Uxore con- sultandum fuit. Ea præter cæteram morum perversitatē, etiam foedis amoribus indulsit, quos denique fons prodidit, & hoc, & alijs prodigijs illustris. Gangulpho in Campania
X 6. pram.

prudenti simplicissima ad speciem quaestio excidit, quanti fontanam, cui assidebat, hospes aestimaret; sibi enim oppidò allubescere: hospes delirium interpretatus, pretium tamen statuit. Gangulphus aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam, fons, inaudito miraculo eum sequitur, & Varennis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, seriò jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare Gangulphus uxorem iussit, absoluturus eam, si id impunè fecisset. Accipit conditionem cum risu adultera: sed brachium velut ex Vulcani ollâ foedè ustulatum retulit; nullo tamen præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium rediit, & deniq; adulterio parricidium conjunxit. Id ubi amator illius (prò pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum retulit, infelicem animam cum alvo dejecit. Gangulphum miracula Divis exæquârunt; quæ cum adultera traduceret, infami per omnem vitam supplicio est exercita, quod prodere verecundiores, quàm illa fuit, litteræ erubescunt.

Ex Suetio.

MEDIT

MEDITATIO

De studio bona conscientia & Deo
& hominibus satisfaciendi.

Nihil non metuendum est malæ conscientia; quando & Gangulphi pietatem & uxoris improbitatem fons prodidit. Conscientia tua primo satisfacias, huic tanquam moderatrici in omnibus actionibus tuis obtemperare debes, si votanti resisteris, cordis tranquillitate & interiore pace & securitate nunquam gaudebis. Si Deo & conscientia tua feceris satis, ne sis sollicitus de vanis hominum sermonibus, si tibi est testis in caelo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt. Greg.

2. Deus saluum te vult facere. In hoc primum, in vigilent curæ & cogitationes tuæ, ut Deo placeas, itaq; nihil feceris contra Dei præcepta, hujus unius indignationem metue. Quid profunt laudes? quid hominis honesti ac urbani nomen? quid benevolentia? Si contemnat & odio habeat Deus, cui animæ tuæ turpitudine cognita est, & qui coram mundo te confundere potest.

3 Dynasta Gangulphus erat, corporis valentis, animi, fortunæq; bonis abundans, & placuit Deo. Ad Deo placendum necesse non est vitam agrestem, austeram, & eremum redolentem ducere, potes esse bonus & dives, probus & Urbanus, honoratus & humilis: quinimò sæpe fit, ut quod sanctiorem præ se fert austeritatem, vanitas sit & durities cordis, mansuetudini Christi repugnans.

S. EPI.